MEMORABILLA MONTIS REGII IN HUNGARIA

digitized by Google

73

FRANC. ERNESTI BRUCKMANNI, D.

EPISTOLA ITINERARIA LXXIII.

SISTENS

MEMORABILIA MONTIS REGII

IN

HUNGARIA.

AD

VIRUM GENEROSISSIMUM,

JOH. JAC. DE LÜEDECKE,

SERENISS. AC CELSISS. DUCIS BRUNSUICENSIUM AC LUNEB. CONSILIARIUM STATUS SPECTATISSIMUM,

DOMINUM IN HOHENTHURN ET NIDERN SICKTE,

RELIQUA,

VIRUM DOCTRINÆ AC MERITORUM AMPLITUDINE EXCELLENTISSIMUM,

FAUTOREM OMNI ANIMI DEVOTIONE ET SUBMISSIONE ÆTERNUM COLENDUM.

CUM FIGUR. ÆNEIS.

WOLFFENB. MDCCXXXIII.

Digitized by Google

DOMINE GENEROSISSIME!

Caſtello Leopoldino ac oppidulo Galgocio, Germ. Freyſtädtel, die 1. April. 1724. poſt tergum relictis, ſpatio trium milliarium emenſo, *Vir Generoſiſſime*, urbem Nitriam, Neitram ſeu Neutram, Neytra, quæ Epiſcopi ſede cum arce & caſtello in monte vel potius prærupta rupe ſuperbit, intravi. Locus ad Nitriam ſeu Neytra, rivum potius, quam flumen, a quo oppidum etiam nomen habet, ſitus. Pars incolarum maxima nobili quidem de ſtemmate nata, ſed quorum domus nil plane diſtant ab iis caſis, quas ruſticorum gens in Saxonia inhabitat; hac tamen hi nobiles præ reliquis inquilinis prærogativa, quod liberi ſint ab omnibus oneribus, nec cuidam ſuperiori aut dynaſtæ aliquid porrigere ac tribuere teneantur, peculiari gaudent. Hic loci memorato die in pratis quinque ciconias, bonos & lætos veris nuntios, primo obſervare licuit.

In ſylva quadam Galgocium inter & Neutram peculiarem viſci, ex quo glutinum aucupum paratur, ſpeciem in quercu patula & frondoſa abundanter notavi; baccæ iſtius

Digitized by Google

iſtius racematim in modum baccarum Ribes naſcuntur, 66666 cum folia ſint ſimilia foliis viſci corylini in Germania. Accolæ vicinorum locorum faſciculos ex hoc viſco compactos, loco Hederæ vel Serti vinarii, præ foribus vino vendibili ſuſpendunt. Carolus Cluſius, qui rariorum aliquot ſtirpium per Pannoniam obſervatarum hiſtoriam Anno 1583. typis mandavit, mentionem quidem facit latifoliæ quercus per multas Pannoniæ ſylvas viſci feraciſſimæ, Ungaris *fay gyöngy* vocati, arboris vero *Töly fa* appellatæ, quam incolæ illicem eſſe exiſtimant, ſed nihil plane addidit de peculiari baccarum modo creſcendi? & an ſit peculiare viſci genus?

Duo in oppido Nitrienſi adſunt monaſteria, quorum unum ordinis St. Franciſci regulas ſequitur, & alterum P. P. piarum ſcholarum collegium, Piariſten vocant, exiſtit, qui ſunt patres Soc. JEſu & Clerici regulares, pueros gratis docent legendum, ſcribendum, arithmeticam, Muſicam & prima linguæ Latinæ elementa.

Vice-Cancellarius totius Regni Hungariæ, Epiſcopus Nitrienſis, Dom. Comes Erdödi, palatium ſuum in laudato caſtello urbis montano habet.

Permagna & admodum ſpatioſa ad urbem piſcina proxime exiſtit, ex qua piſces de nocte cum candelis ardentibus nec non furcis bi- & tricornibus capiuntur, nam hamiotæ candelam lucentem extra cymbam manu tenent, quam piſces, lucis ac ſplendoris amantes, ſequuntur, ac poſtea furcis compunguntur, nec non capti in cymbas trahuntur. Teſtudinum ſat magnus quoque hic numerus venatur, quæ animalcula teſtacea integris plauſtris Viennam deportantur &, tempore feriarum eſurialium, avide comeduntur. Quomodo in mari mediterraneo beſtiæ natantiles candore ignis ad capturam alliantur, vid. in Valvaſoris Ehre des Herzogthums Crain. L. IV. p. 642.

Ad pagum Seyugrótz, 2. Nitria milliar. antrum ſubterraneum, quod in hunc usque diem rariſſime quidem viſitatum, interim tamen aqua Gorgonica nec non ſtalactite refertum, videndum.

Non procul ab urbe in querceto humili peculiares quasdam gallarum, quas Hungari ſua lingua *Bugha* vocitant, ſpecies obſervare licuit, quarum prior ferme formam caryophyllorum aromaticorum externam habebat, & quæ
Fig. I. in Dom. H. I. Bytemeiſteri, Philoſophi celeber. Bibliothecæ append. ſ. catalogo apparatus curioſorum p. 40. ex noſtra communicatione luſtranda.

Poſterior vero, æque minores gallas rotundas ac læves exhibet, quarum nunquam non tres, quatuor, quin-
II. que, imo plures, inſtar fructuum ceraſi racemoſæ, conjunctim in uno pediculo naſcuntur; jam ſupra laudatus præcellens botanicus, Car. Cluſius, genus quercus humilis, nec humanam altitudinem excedentis p. 9. adducit, fruticis potius, quam arboris nomine donandum; tenuibus & lentis ramis, foliis alteri quercui in Hungaria fere ſimilibus, ſed minoribus, nec adeo ſinuoſis, minorum gallarum, quæ plerumque binæ, ternæ aut plures ſimul naſcuntur, admodum ferax: cujus nullum vulgare nomen autor intellexit; credimus autem firmiter, laudatum virum iſtud quercus genus, ex quo noſtræ delineatæ gallæ deſumtæ, hic accepiſſe.

III. Præter memoratas, & mecum ex Hungaria attuli gallas læves majores, in medio circumcirca faſciatas circulo, apice in mucronem deſinente, flaveſcentes.

IV. Gallas aculeatas, inſtar tribulorum aquaticorum, variæ magnitudinis.

V. Flaveſcentes, majores & minores, non unius menſuræ, globulares, & per totam corporis peripheriam læves.

VI. Maximas, per totum ambitum retundum echinatas.

VII. Gallas connatas læves.

Læves,

Læves, rotundas, in ſuprema parte, apicem verſus, aculeis quaſi coronatas. Fig. VIII.

Læves ſparſim, hinc & inde, aculeis protuberantibus minoribus obſitas. IX.

Hæ gallæ omnes & ſingulæ, quod ad colorem, nigræ, brunnæ, ruſſæ, flaveſcentes, virides; &, quod ad virtutes medicas, phyſicas, nec non œconomicas, conveniunt plane cum Turcicis & reliquis; habent ſua parvula & rotunda foraminula pro exitu inſectorum, quæ ordinarie in his ſua componunt domicilia ac nidulantur.

Ex Nitrienſi urbe adivimus *St. Benedicti* cœnobium, *St. Benedict*, in colle modico nec admodum edito eximie munitum, Nitriam inter & Schemnitium ad flumen granum, 3. mill. Nitria diſtans, ſitum. Canonicorum collegium hic loci optimum & in tota Hungaria vetuſtiſſimum grammatophylacium, quod Archivum vocant, habet; dolendum ſaltim, quod in Capitularium manibus ſit, hinc nemini monſtratur, præterea quoque pro hoc nunquam non milites quidam Heyducci excubias agunt. Sciendum porro, quod ſingula archiva totius Regni Pannonici in Canonicorum collegiis ſerventur, &, qui manuſcripta quædam ex iſtis videre cupiunt, neceſſe habent, ſecum ut afferant & monſtrent requiſitorium mandatum a Palatino vel curiæ Regiæ judice literis exaratum. In hoc oppidulo & locis vicinis adjacentibus inquilini, loco feneſtrarum ex vitro confectarum, veſicas urinarias bubulas extenſas habent, ſicque feneſtræ exſiccatis inductisque ligno veſicis injuriam aeris, ventorum ac tempeſtatum excludunt; conveniunt cum Iſlandorum feneſtris, quæ, teſte Thom. Bartholino in Actis med. & Philoſoph. Vol. V. p. 132. ex tunicis vaccarum Allantoideis exiſtunt.

Mons Regius, Germ. **Königsberg**, unico tantum milliari a nominato capitulo diſtat; oppidum eſt Hungariæ inferioris montanum & metallicum ad fluvium Granum ſitum, & exiſtit unum ex ſic dictis VII. oppidis metallicis, inque or-

dine quintum eſt; dubio procul a rege metallorum rutilante, auro nempe, quod hic effoditur, appellatum? In perpluribus Regni Hungariæ deſcriptionibus autores ſeptem urbes metallicas ad utrumque Grani latus in Hung. ſuperiori ſitas collocant, nempe Cremnitz, Schemnitz, Neuſohl, Tyllen, Pugganz ſ. Pukancz, Königsberg & Altſol; ſed notandum primo, quod omnia recenſita oppida pertineant ad Hungar. inferiorem; pro ſecundo, quod Altſolium plane non ſit oppidulum metallicum, ſed quod ſeptimum Hungariæ inferioris oppidum metallicum ſit Libeten ſ. Liebethen. Civitates montanæ ſeptem ſic dictæ, quod inter montes, ex quibus aurum, argentum, cuprum & plumbum, aliaque metalla & metallica eruuntur, ſint poſitæ. Summus rerum metallicarum in tota Hungaria inferiori officialis appellatur **Oberſt-Cammer-Graf**; hocce munus cum officio ſupremi rerum metallicarum præfecti, **Ober-Berg-Hauptmann**, in Saxoniæ terris convenit; qui hocce officium meo tempore adminiſtrabat, erat Joſeph. And. Wenceslaus, Baro de Sternbach, Sac. Rom. Imp. & Reg. Cathol. Maj. O. O. Aulæ ærarii conſiliarius & **Oberſt-Cammer-Graf** in regiis Hungariæ inferioris civitatibus montanis; domicilium Schemnitii habebat; hic mihi & aliis peregrinantibus, qui res metallicas, fodinas & officinas excoctorias Hungaricas hujus tractus, machinas, furnos ac labores videre cupiunt, permiſſionem dedit & dat, ſine qua nihil animadvertendum, imo, nec introitus in fodinas patet. Reliqui officiales nec non præfecti rei metallicæ, fodinarum ſubterranearum & officinarum excoctoriarum aliis quoque ac in Saxonia, titulis & nominibus gaudent.

Tyllen, Hung. *Bela Banya*, nam Banya lingua Hungarica fodinam notat metallicam, eſt locus vilis, dimidio milliari Schemnicio diſtans, gaudet adhuc auri & argenti mineris, quæ autem pronunc parum æſtimantur, nec ſtudioſe effodiuntur.

Pugganz, locus æque ignobilis, fodinas quidem auri & argenti habet, ſed vix coluntur.

Liſten,

Digitized by Google

Libeten, *Libetobanya*, parvum oppidulum, non procul Regio monte, mineras ferri ac chalybis, aliquantulum quoque cupri, offert; locus olim metallis multo ditior, quam in præsenti tempore, fuit.

Mons Regius olim divites metalli aurei venas habuit, luxu vero ac superbia mirum in modum ob has crescente, incolæ tandem nesciverunt, quid cum tanta auri mole iis sit faciendum, a Deo justo morbus epidemicus quidam fossoribus metallicis immissus, quo facto, ut cum reliquis sanis viris & uxores in fodinas miserint, quæ auxiliariæ cohortes inter se invicem vix nominanda facinora, nuptiasque caninas cum impudicitia culpabili comiserunt, quas divina ira & merita vindicta cito pede sequuta, nam laudatæ sole abundantes fodinæ terræ motu fractæ, &, quod ad maximam partem, subversæ, plures quam centum metallarii in montis viscеribus occisi, ruinisque ac lapidibus obruti; & sic simul ac semel omnis tanta dives benedictio in auras evanuit. Cum Rex Matthias aliquando ad lustrandas aurifodinas hunc salutaret locum, inquilini dicto gloriosissimo Principi integrum vas ligneum, Hund termino metallico dictum, & quo vehiculo, quatuor parvis rotis instructo, mineræ & lapides ex puteis in lucem protrahuntur, ducatis aureis refertum, dono gratuito donarunt. Cum ante aliquot annos harum sole divitum submersarum venarum documenta relicta in pervetustis Manuscriptis occurrerent, statim has fodinas aperiendas quidem sedulo curarunt & inceperunt, sed quæ subterraneæ copiosæ in istis prostantes, & in quibus metalla submersa, omnem laborem irritum fecerunt, donec tandem Ao. 1722. mechanicus quidam celebris, Isaacus Potter, natione Anglus, ibidem loci mansionem quandam montanam, satis ingeniosam, quæ antliæ pneumaticæ basi filia nobis esse videbatur, non sine magnis sumtibus erexerit, cujus ope aquæ ex fodina in altum sublevantur, & in diem protrahuntur. credebant tunc temporis, se nunc mox iterum ad desertas divites auri venas perventuros, quod, an in præsenti jam factum? & an jam magnum auri pondus ac ditiora terræ munera acceperint? prorsus me latet, machina, ope ignis & flammarum, tempore aliquot horarum omnem ex fodina aquam in aprieum ducit, (ejusmodi machinam & Viennæ Austriæ sorte Principis de Schwartzenberg, quæ ignis ope omnes aquas artificiales

Digitized by Google

ciales & hydraulicas machinas per totum viridarium pellit, vidimus; conf. Joh. Baſil. Küchelbeckeri allerneueſte Nachricht vom Römiſch. Käyſ. Hofe p. 738. c. fig. machinæ. Relatum quoque nobis, tales machinas ad ſingulas ſtanni ſodinas in Anglia obvias fore, quoniam mineræ Jovis ibidem terrarum omnes ac ſingulæ ſub aquis poſitæ ſine talibus machinis in lucem trahi non poſſent; porro dicendum, quod ejusmodi machinæ & in præſenti in Gallia exſtruantur.) & quidem ſub omni tractu duos pedes aquæ. Acta Artis & Naturæ Vratislavienſia XXII. Verſuch p. 473. XXXIV. Verſuch p. 165. 194. 686. ſequentem relationem hujus artificialis machinæ ignea, qua ex profundo aqua trahi poteſt, dant: „Ein Engelländiſcher Ingenieur, „Iſaac Potter, hat 1722. eine künſtliche Feuer-Machine in Königsberg / 3. „Meil von Schemnitz gemacht und zu Stande gebracht / welche durch Ge„walt des Feuers über 45000. Eymer Waſſer alle 24. Stunden aus der „Teeffe heraus ziehet / wenn es auch über 1000. Klaffter wäre. Die Cal„culation verhält ſich folgender Geſtalt: In dem Schacht ſind 3 Pumpen / „jede von 7. Zoll weit / ſo einen Hub von 4. Schuh 4. Zoll haben / jede ſolche „Pumpe hält in ſich 52. Kannen / und alle 3. Pumpen zuſammen 2. Eymer „28. Kannen Waſſer / jeden Eymer auf 64. Kannen gerechnet / alſo daß jeder „Zug Waſſer 2. Eymer 28. Kannen giebt; die Machine nun giebt 13 Streich „in einer Minute, bisweilen einen mehr / oder weniger / daß die Zahl der 13. „vor ein Medium paſſiret / muß alſo die Zahl der 2. Eymer und 28. Kannen „mit 13. multipliciret werden / um die Quantität einer Minuten zu haben. „Dieſe 13. Streich alſo für alle 3. Pumpen machen 31. Eymer 44. Kannen; „ſolche mit 60. Minuten multipliciret / kömmt auf jede Stunde 1901. Ey„mer, 16. Kannen / und folglich auf 24. Stunden 45630. Eymer Waſſer. „Indem aber die Kolben niemahls ſo juſt ſchlieſſen können / daß ſie nicht et„was Waſſer verliehren / jedoch weit mehr in einem langſamen / als hier in „einem geſchwinden Zug / ſo können allhier alle Stunde 26. Eymer abge„zogen werden / bleiben alſo 45000. Eymer.„ vid. plura in D. And. Eliæ Büchners M ſcellan. phyſic. Med. mathemat. III. & IV. Quart. Anno 1727. Claſſ. V. Art. I. p. 560. qui exactam hujus machinæ cum icone curioſe exhibet delineationem.

Omnes hujus ſodinæ auri mineræ in præſenti, cum non ſint puræ, nec nativo auro divites, in caſulis, pauperiori mineræ ſudibus ferreis in pulverem, aquarum ope molas vertentium, contundendæ dicatis, tunduntur, lavantur, igne funduntur, ac aurum hinc purum extractum in officinam monetariam Cremnicenſem mittitur. Præter auri mineram foſſores & Marchaſitam radiantem egregiam, quæ aurea perhibetur, nec non Vitriolum nativum variorum colorum inveniunt. In fodina ſunt admodum ſapidæ & delicatæ acidulæ, quales & non procul Regio monte exiſtunt; bibuntur in hypochondriacis affectionibus, aliisque morbis tuto uſurpantur. Vale, *Vir Generoſiſſime*, diu felicſſime vive, mihique, quod facis, favere perge. Dabam Wolffenb. d. 27. Octobr. 1738.

)(o)(

88 348225

Digitized by Google